

ad publicam securitatem, et communem fiduciam; secus enim commercium humanum pessumdaretur. *S. Lig. Tr. de Pecc. n. 70.*

Excipe: 1° si adsit consensus tacitus, aut præsumptus scribentis, vel ejus ad quem scribitur; 2° si justa causa fiat, v. g. ad damnum publicum vel privatum avertendum; 3° si merito præsumat res in litteris contentas esse levis momenti: tunc enim legens a peccato gravi excusatur. *S. Lig. Tr. de Pecc. n. 70. — V. Comp. n. 471.*

440. — *R. ad 2^m Quæs.* OLIVARIUS non peccavit neque graviter, neque leviter litteras Rosæ aperiendo et legendo. Ratio est, quia id ex justa et gravissima quidem ratione fecit, nempe ad damnum grave a se avertendum. Etenim communiter docent Theologi fas esse alterius litteras legere, vel secretum revelare, quando necessitas id postulat, vel ad proximum aut seipsum juste defendendum.

441. — *Objicies*: Ille qui notitiam alieni criminis acquisivit injuste, v. g. aperiendo litteras secretas illius, non potest uti illa notitia; sed se gerere debet perinde ac si illam nunquam comparavisset, quia notitia quam quis injuste acquirit non est moraliter sua.

R. Neg. suppositum, scilicet notitiam illam fuisse ab OLIVARIO injuste acquisitam. Etenim id fecit ex gravissima ratione, seu ut injustam vexationem a se averteret; ergo non egit injuste. Imo aliquando fas est uti notitia injuste accepta, si postea adsit causa justa ea utendi, quia tunc res habetur perinde ac si notitia juste acquisita fuisset, ut supra dictum est in casu 7, n. 430.

442. — *R. ad 3^m Quæs.* OLIVARIUS non potest statim litteras clam acceptas manifestare. Sed debet prius ROSAM admonere, ut sileat, nec amplius quidpiam repetat pro alenda et educanda prole, quia ipse habet medium probandi falsam esse accusationem. Ratio est, quia non licet crimen alterius propalare coram aliis, ubi non est necessarium. Porro in nostro casu non urget ulla necessitas, siquidem ope correctionis fraternæ, seu privatæ admonitionis, malum quod timetur impediri potest. Ergo... Quod si, tali combinatione, ROSA nihilominus præsumat OLIVARIUM accusare, poterit præfatam epistolam ostendere in quantum erit necessarium ad se indemnem faciendum, quia fas est crimen verum detrahentis manifestare, ad auctoritatem illius elidendam, quoties injusta accusatio vel detractio aliter impediri nequit. *Elbel, n. 399. — Lugo, etc.*

CASUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE

SEU

De confessione annua. — De Communione paschali. — De abstinencia a carnibus, et de jejunio.

CASUS I.

ANNUA CONFESSIO 1°.

OCTAVIUS confessus est Dominica Palmarum, die 4 Aprilis, nec ad confitendum rediit nisi Dominica in albis anni sequentis, die 24 Aprilis. — Alias confessus est die præcedente tempus Paschale, aut paucis ante diebus, nec ante diem solemnem Paschæ anni sequentis peccata in Sacramento Pœnitentiæ deposuit. In utroque casu de peccato mortali a Confessario arguitur.

HINC:

QUÆR. 1° *Quomodo computandus sit annus relative ad obligationem annuæ confessionis?*

2° *An OCTAVIUS peccaverit contra præceptum Ecclesiæ, tum in primo, tum in secundo casu?*

SOLUTIO:

443. — *R. ad 1^m Quæs.* Per se loquendo, annus computandus esset ab initio mensis Januarii, ad finem Decembris; sed, spectata universali consuetudine, computatur ab initio ad finem temporis Paschalis, quo Communio peragenda est. *S. Lig. l. 6, n. 662.* Igitur cum Pascha non incidat in idem tempus, sed modo maturius, modo tardius occurrat, sequitur posse aliquem quandoque legi Ecclesiæ satisfacere, licet tempus anni completi excedat. Attamen non datur stricta obligatio confitendi tempore Paschali, quia Ecclesia tempus illud non determinat ad Confessionem, sed ad Communionem. Quare, si quis uno vel altero mense confessus fuisset ante tempus Paschale, nec peccati mortalis conscius esset, ad confessionem Communioni præmittendam non teneretur. Consuetudo autem tunc confitendi, et decreta Episcoporum, vel Synodorum id exigentium necessitatem supponunt, seu intendunt tantum præcipere debitam dispositionem ad Eucharistiam suscipiendam, vel non urgent præcise nisi eos qui toto anno non sunt confessi. *Gousset, de Pœnit. n. 410, contra Collet.*

444. — *R. ad 2^m Quæs.* OCTAVIUS satisfecit obligationi suæ in utroque casu, quia revera confessus est intra annum, juxta consuetudinem receptam in anno computando ratione præcepti confessionis. Nec obstat quod non fuerit confessus nisi a 13 circiter mensibus, quia annus physice non est tunc computandus, sed moraliter, ut ex dictis apertum est. Ergo non damnandus est OCTAVIUS, sed potius Confessarius.

CASUS II.

CONFESSIO ANNUA 2°.

1° VERONICA, tempore Paschali, pergere solet ad confitendum extra parochiam, vel etiam extra diœcesim, in cuius limitibus versatur. Confitetur autem alias Regularibus, alias sæcularibus Sacerdotibus, invito Parocho, imo et ipso Episcopo, qui subditis suis sub pœna nullitatis absolutionis prohibuit ne alio, præsertim extra diœcesim, ad peragendam annuam confessionem pergant.

2° RUFINUS, consuetudinarius, regulariter singulis annis in Paschate confitetur, cum signis ordinariis contritionis; cum autem hoc anno, Confessario id exigente, alias redire per annum promittere noluisset, sine absolutione dimittitur.

HINC :

QUÆR. 1° *An confessio annua fieri possit extra parochiam, extra diœcesim, præsertim invito Parocho vel Episcopo?*

2° *An absolvi possint qui renuunt confiteri pluries in anno, licet id Confessarius præscribat?*

SOLUTIO :

445. — *R. ad 1^m Quæ. Affirm.*, modo confessio fiat Sacerdoti ab Episcopo loci approbato. Sic expresse *Bened. XIV, de Synodo, l. 7, c. 64.* — *S. Lig. n. 564*, ubi dicit : *Fideles possunt libere confiteri cuique Confessario approbato. Ita communiter.* — Ergo validæ sunt confessiones omni tempore, etiam Paschali, invito Parocho, imo etiam invito Episcopo, saltem in locis ubi Episcopus non contradicit expresse sub pœna nullitatis confessionis, etiamsi prohiberet ne quis alium adiret præter Parochum, vel de Parochi consensu, quia censetur consuetudini universali se conformare, et velle suadere potius quam præcipere, aut saltem non præcipere sub pœna nullitatis.

446. — Imo ex Decreto *S. Congr. Episc.*, apud *S. Lig.*, non posset Episcopus tale Decretum ferre. Saltem Episcopus præcipere nequit sub pœna invaliditatis ne diœcesani in alia diœcesi confiteantur, quia jurisdictionem Sacerdotum non sibi subditorum restringere nequit. *V. Gousset, de Confessione, n. 412.* Regulares autem, etiam tempore Paschali, valide confessiones audire possunt in quovis loco ubi sunt approbati, nec ab Episcopo impediri possunt. Sic ex *Clem. X, Superna*; apud *Lacroix, de Penit. n. 1506*, Ergo VERONICA valide et licite in subjectis casibus confessa est.

447. — *R. ad 2^m Quæ. Affirm. per se*, si aliunde sint dispositi; imo absolvi debent, quia ex præcepto Ecclesiæ ad aliud non tenentur, nisi ad annuam confessionem. Dixi *per se*, quia aliud dicendum foret, si confessio frequentior judicaretur omnino necessaria ad relapsum præcavendum. Attamen etiam in hoc casu expedit magis pœnitentem enixe adhortari ut crebrius confiteatur, quam illum rigoroso præcepto ad id adstringere, ne impositæ obligationi deficiat, et a confessione deterreatur.

CASUS III.

DE COMMUNIONE PASCHALI 1°.

HYPARCUS 1° Cum omisisset tempore Paschali ad sacram Synaxim accedere, decurrente anno, in aliena parochia communicat, ratus præceptum in parochia communicandi urgere tantum Paschali tempore. 2° Anno sequenti sacrilege communicavit in propria parochia, et, cum crimen fuisset confessus, a Confessario jubetur iterum in parochia communicare ad satisfaciendum duplici Ecclesiæ præcepto, cum sacrilega Communio pro nulla sit habenda; at, cum consensisset ad denuo communicandum ubilibet, non autem in parochia, sine absolutione dimissus est. 3° Alio anno communicavit quidem tempore Paschali, sed in Ecclesia metropolitana de manu Episcopi, et alias de manu proprii Parochi, putans quod ita præcepto satisfaceret.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo obliget præceptum Communionis paschalis, tempore Paschali et postea?*

2° *Quid de agendi ratione HYPARCI in hisce variis casibus?*

3° *Quis in hoc præcepto dispensare possit quoad circumstantiam temporis et loci?*

SOLUTIO :

448. — *R. ad 1^m Quæ.* Præceptum Communionis paschalis triplex esse videtur, scilicet : 1° præceptum communicandi, saltem semel in anno, ut eruitur ex *Conc. Later. IV, ex Concil. Trid.*, etc.; 2° præceptum communicandi tempore Paschali : constat ex *Concil. Trid.* et ex variis Decretis SS. Pontific.; 3° præceptum communicandi in propria parochia, ut constat ex variis SS. Pontific. Constitutionibus, et omnibus Ritualibus, et universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente. *S. Lig. n. 300.*

Tempus autem Paschale, ex Declaratione Eugenii IV, currit a Dominica Palmarum ad Dominicam in albis; sed Episcopi illud anticipare et producere possunt. Nunc plerumque incipit Dominica Passionis, et completur secunda Dominica post Pascha. Ratio autem communicandi in propria parochia est fidelium ædificatio, et proprio Pastori submissio. Completo tempore Paschali, perdurat obligatio communicandi, si non fuit impleta; quia, ut dictum est, præceptum respicit non solum tempus Paschale, sed, illo elapso, integrum annum : statutum enim videtur tempus non ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam. Plures tamen graves auctores contendunt non dari obligationem communicandi in anno, sed tantum tempore Paschali. *S. Lig. n. 297*, versus finem, sic ait : « *Hanc sententiam non contemnendam puto, saltem quia, ex neutro præcepto divino ac ecclesiastico, constat hæc obligatio communicandi, transacto tempore Paschali; hoc tamen non obstante, nolo recedere a prima sententia.* »

Cæterum doctrina communis confirmari videtur ex praxi Romæ vigenti : etenim qui præcepto Communionis non satisfecerunt ante festum Ascen-

sionis Domini, casum reservatum incurrunt : et si in contumacia perseveraverint usque ad Assumptionem B. Virginis, excommunicationem incurrunt, plurimumque eorum notissimorum nomina ad valvas Ecclesiae S. Bartholomæi, in insula Tiberina, affiguntur.

449. — *R. ad 2^m Quæst.* seu ad triplicem casum.

In primo casu : HYPARCUS præcepto non adæquate satisfecit, quia lex communicandi in parochia est generalis, nec restringi videtur ad tempus Paschale, sicut ipsa obligatio Eucharistiam suscipiendi ad hoc tempus non limitatur. Etenim Episcopi, legis interpretes, requirunt communiter ut dispensatio petatur ad Communionem extra parochiam peragendam, etiamsi tempus Paschale transierit, nisi Parochi licentia præsumi possit. *Bouvier, etc.*

450. — *In secundo casu* : 1^o HYPARCUS fuit quidem obligatus ad iterandam Communionem, quia non satisfecit præcepto per Communionem sacrilegam. Ecclesia enim præcipiens Communionem, præcipit sumptionem Eucharistiae, qua fidelis cum Christo uniatur; et, quamvis finis legis non cadat sub præcepto, attamen, quando finis est intrinsecus, qualis hic habetur, sub lege cadit. Constat insuper ex prop. 15^a ab *Innoc. XI* damnata. 2^o HYPARCUS satisfecit saltem quoad circumstantiam loci; quia, sub illo respectu, finem præcepti consecutus est, siquidem Communio, licet interne sacrilega, externe tamen ad ædificationem cessit. Ergo erravit Confessarius, eum invitum ad iterum communicandum in ipsa parochia adigendo. *Lacroix, de Euch. n. 630.*

451. — *In tertio casu.* HYPARCUS non satisfecit præcepto Ecclesiae, quia Ecclesia cathedralis non erat parochia ejus propria. Nec refert quod de manu Episcopi, vel sui Parochi communicaverit, quia finis primarius præcepti communicandi in propria parochia, est mutua fidelium ejusdem parochiae ædificatio. *Ita communiter cum S. Lig. contra plures.*

452. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Episcopus dispensare potest a præcepto quoad circumstantiam temporis, de justa ratione, tum ad tempus præveniendum, tum ad illud differendum. 2^o Non solum Episcopus, vel Vicarius generalis, sed etiam ipse Parochus dispensare potest, quoad circumstantiam loci, quia lex in ejus favorem lata est. Insuper ex consuetudine generali constat. — *V. Comp. n. 480 et seq. — S. Lig. n. 295, etc.*

CASUS IV.

COMMUNIO PASCHALIS 2^o.

HEDVIGIS, mulier, graviter decumbens, sacrum Viaticum Dominica Palmarum suscepit. Paucis vero diebus elapsis, sanitati restituta, Communioni paschali se satisfecisse existimat; sed a Parocho jubetur iterum in Ecclesia parochiali communicare, ad Ecclesiae præceptum adimplendum.

2^o EMPORIUS, mercator, tempore Paschali, extra parochiam communicat. Sed domum redux, dubitat an in Ecclesia parochiali iterum communicare debeat. Alias, iter agens tempore Paschali, dubitat an tunc sibi sit communicandum, aut exspectandum donec ad parochiam sit reversus.

3^o MARCANTIUS, cum, in media Quadragesima, in dissitam regionem iter aggredi deberet, nec post plures menses esset reversurus, confitetur, ut præcepto Communionis paschalis in antecessum satisfaciatur. Evenit autem postea, ut iter intentum suscipere non potuerit. Attamen rursus communicare non curavit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An HEDVIGIS in Ecclesia communicare teneatur?*
 2^o *Quid EMPORIO interroganti responderendum?*
 3^o *An MARCANTIUS præcepto Ecclesiae satisfecerit?*
 4^o *Quid si communicasset sabbato pridie Dominicæ PASSIONIS, vel aliam Communionem die ASCENSIONIS Domini fecisset?*

SOLUTIO :

453. — *R. ad 1^m Quæst.* Non videtur obliganda HEDVIGIS ad Communionem in parochia iterandam; quia præcepto satisfecit in quantum satisfacere poterat. Adde obtentum fuisse etiam finem legis, Communionem in parochia faciendam præcipientis; finis enim est communis ædificatio, et proprio Pastori submitto: porro utrumque obtinetur, si ægrotus modo publico domi e manu Parochi vel ejus delegati Communionem suscipiat. Ergo...

454. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o EMPORIUS in primo casu non tenetur iterum communicare, quia peregrini, ut sunt mercatores iter agentes, præcepto satisfaciunt ubi tempore Paschali degunt, vel qua transeunt. Nec tenentur redire ad parochiam ut ibi communicent, nisi facile possint, v. g. si in loco vicino commorentur, nec ibi quasi-domicilium habeant.

2^o EMPORIUS in secundo casu communicare debet extra parochiam, si non est ad eam reversurus ante finem temporis Paschalis, quia obligatione satisfaciendi præcepto Ecclesiae premitur. Si vero reversurus est ante finem temporis Paschalis, exspectare potest. *S. Lig. n. 300.*

455. — *R. ad 3^m Quæst.* MARCANTIUS præcepto Ecclesiae non satisfecit per anticipatam Eucharistiae sumptionem; nemo enim legem implere potest, antequam ejus obligatio urgeat. Ergo non factus est immunis ab obligatione iterum communicandi tempore Paschali. *S. Lig. n. 297 et 298.*

R. ad 4^m Quæst. Neque MARCANTIUS legi Ecclesiae satisfecisset communicando pridie diei quo præceptum urgere incipit, propter eandem rationem, scilicet, quia nemo obligationem non adhuc existentem implere valet. Si autem aliam Communionem die Ascensionis fecerit, tunc satisfecit annuæ Communioni; sed propter dilationem jam graviter peccavit. *V. Comp. n. 480, etc. — S. Lig. n. 295 et 297.*

CASUS V.

COMMUNIO PASCHALIS.

LONGINUS 1^o accedit ad confitendum ultima die temporis Paschalis, et quidem vespere, ita ut communionem die sequenti tantum peragere possit. 2^o Accedit ultima die temporis Paschalis omnino ad absolutionem impa-

ratus, cum intentione alias redeundi et confessionem perficiendi, et putat id sufficere ut a culpa gravi eximatur. 3° Accedit quidem pluries tempore debito, sed prava consuetudine detinetur, nec sufficienter emendationis signa præbens, qua de causa ad aliud tempus experimenti gratia remittitur. 4° Alias tandem, etsi sat dispositus tempore opportuno accesserit, rogat Confessarium ut ad octo vel quindecim dies remittatur, quod ipsi ultro conceditur.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quomodo peccaverit LONGINUS in his casibus contra Ecclesiæ præceptum?*

2° *An in ultimo casu Confessarius illi absolutionem et Communionem differe potuerit?*

SOLUTIO :

456. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° LONGINUS peccavit graviter *in primo casu*, quia tardius ad confitendum accessit. Etenim non satis est confessionem incipere ultima die temporis Paschalis, sed ipsa Communio hac die facienda est, si præcepto Ecclesiæ non adhuc satisfactum fuerit. Dilatio autem, etiam unius diei, gravis est, quia lex sub gravi obligans infringitur. 2° Peccavit quoque graviter *in secundo casu*, si emendationi studere insigniter neglexit. Etenim qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria ad illum consequendum, ita ut graviter peccet qui hæc adhibere omittit. Atqui dispositio ad absolutionem est res omnino requisita, ut quis ad Eucharistiam accedere possit: ergo hæc illi adhibenda erat. Ergo peccavit contra præceptum Eucharistiam sumendi tempore præscripto. 3° Peccavit etiam *in tertio casu*, propter rationem jam modo allatam, scilicet quia debebat se ad Sacramentum Pœnitentiæ disponere, tollendo impedimenta proxime impediens legis executionem: atqui prava cordis dispositio est impedimentum proxime impediens absolutionem et Eucharistiæ susceptionem. Ergo, etc. *Tamb. de tertio Præcepto Ecclesiæ, c. 3.* — 4° Non peccavit autem *in quarto casu*, quia dispositionibus requisitis ad absolutionem et Communionem non caruit, et dilationem postulando se iudicio et beneplacito Confessarii commisit.

457. — *R. ad 2^m Quærs. Affirm.* Confessarius enim est iudex non solum dispositionis ad Communionem requisitæ, sed opportunitatis majoris ad SS. Sacramentum suscipiendum. Potest igitur aliquam dilationem permittere vel imponere, si iudicet majus bonum pœnitentis id requirere, saltem si hic non sit invitus.

CASUS VI.

DE JEJUNIO 1°.

1° DIDYMUS de more jentaverat, septem vel octo uncias panis vel casei manducando, cum admonetur diem esse jejunii; nihilominus prandium solitum media die sumit, ratus non esse sibi omittendum quod omnibus est licitum. Imo cœna integra stomachum vespere reficit, ex eo quod jejunium mane violatum in integrum restitui non possit.

2° GABINUS, cum bona fide duplicem refectionem die jejunii sumpsisset, advertens ad obligationem jejunandi, non tamen a tertia refectione abstinuit, quia jejunium jam violatum non amplius servari poterat.

HINC :

QUÆR. 1° *In quo consistat jejunii essentia?*

2° *An DIDYMUS jejunium violaverit, cœnam integram sumendo? Aut quid facere debuisset?*

3° *An duplex peccatum mortale commiserit?*

4° *An GABINUS in secundo casu graviter peccaverit, tertiam refectionem sumendo?*

SOLUTIO :

458. — *R. ad 1^m Quærs.* Essentia jejunii in hoc præcipue sita est, ut unica relectio proprie dicta fiat. Usus vero invaluit, ut præterea relectiuncula sub vespere sumi possit.

459. — *R. ad 2^m Quærs.* Peccavit graviter *per se* DIDYMUS duplicem refectionem sumendo, præter jentaculum. Ipsi enim remanebat adhuc possibile jejunium, scilicet prandium ad vespertinum tempus remittendo, vel a cœnula abstinendo. Si refectionem transmittere noluerit aut non potuerit, et omnino abstinencia a cibo vespere nimis molesta esset, posset DIDYMO permitti ut aliquid cibi v. g. unam vel alteram unciam degustaret. Dixi *per se*, quia, si supradictis industriis minime uti potuit, tunc a jejunii lege fuit excusatus.

460. — *R. ad 3^m Quærs. Neg.* Ratio est, quia unicum jejunii præceptum violavit; proinde unicum posuit actum contra obedientiam erga Ecclesiam. Igitur ille qui tres refectiones sumit die jejunii, non plura peccata gravia committit quam ille qui duplicem tantum refectionem facit, siquidem unica est obligatio jejunii prætermissa.

461. — *R. ad 4^m Quærs. Controvertitur.* Duplex est sententia *probabilis*, juxta *S. Lig. n. 1030*.

I^a SENTENTIA *negat* GABINUM peccasse mortaliter, quia reapse ita violatum est jejunium ut ejus essentia destructa fuerit, licet ex inadvertentia id evenerit. *Ita Bonacina, — Elbel, — Sporer, etc.*

II^a SENTENTIA *affirmat*. Ratio est, quia jejunium *materialiter* tantum fregit, non vero *formaliter*. Quare, cum primum advertit ad legem jejunii, tenebatur illam servare, ne formaliter læderet. *Ita Azor, — Sa, — Navarrus, etc.* Si vero GABINUS, detecto errore, consilium postulasset, sane adhortandus fuisset ut ab ulteriori refectione abstineret. *Recole dicta de leg. n. 87.*

CASUS VII.

DE JEJUNIO 2°.

PUBLIUS jejunavit quadragesimali tempore, modo prandium sumendo hora decima matutina, cœnulam vero hora septima vespertina; modo ordinem inversum sequendo. In relectiuncula autem 8 vel 10, aut aliquando 12 uncias panis vel lactucarum, etc., deglutiit.